



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

XLII. Epistola Episcoporvm Synodi Sardianæ In Lydia, Ad Leonem Imperatorem. Domino piissimo, Christique amantissimo imperatori nostro Leoni, perpetuo Augusto, parua & humilis Synodus congregata in ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

ti. Et vt insignis pompa Concilii, occasio quidem multis contemptus sacræ fidei & detractionis existit; frequentia vero multorum indiscrete loquentium, paganorum, aut infidelium, & præcipue hæreticorum, plurimi (quod absit) simplicium trahuntur ad lapsum; qui dum illi putentur quidem de quibus volunt honeste loqui, ad varias autem blasphemias rectæ fidei dogma perducant. Cur enim hoc capitulum eligunt, qui haçtenus quod sapiunt, ita ne-
sciunt, vt pro sua fide frequenter egeant conuenire?

Pergamius episcopus Antiochiae, subscripti quæ sunt subiecta intercessionibus omnium sanctorum, armatus recta fide, & omnia quæ pietati sunt aduersa, decuincens. Multo tempore a clementia diuina serueris, Christo amabilis & honorate diuinitus imperator.

Eutropius episcopus Adadenorum ciuitatis, similiter.
Paulinus episcopus Apamenus, similiter.
Libanius episcopus Paralenus, similiter.
Alexander episcopus Seleuciæ, similiter.
* Maximus episcopus Gortenus, similiter.
Basilius episcopus Neapoleos, similiter.
Florentius episcopus Hadrianopolitanus, similiter.
* Minophilus episcopus Metropolitanorum, similiter.
Theodorus episcopus Theodosiopolis, similiter.
Marcianus episcopus Philomeli, similiter.
Eugenius episcopus Synnadorum, similiter.
Politianus episcopus Sozopolitanus, similiter.
Attalus episcopus Malinopoleos, similiter.
Castinus episcopus Limenopoleos, similiter.

XLII.

EPISTOLA EPISCOPORVM SYNODI SARDIANÆ IN LYDIA, AD LEONEM IMPERATOREM.

*Domino piissimo, Christique amantissimo imperatori nostro Leoni,
perpetuo Angusto, parua & humili Synodus congregata in
metropoli Sardianorum vestrae Lydiae.*

PRIMITVS vestrae pietatis imperium nuper adeptæ sanctissimæ Dei ecclesiæ in Lydia constitutæ, augmentum magnæ tuitionis & zeli circa orthodoxam fidem vestrae tranquillitatis agnoscent. Vnde incessanter pro vestrae Christianitatis imperio preces offerentes Deo, vt * longæua & in pace vestra seruetur vita, nonnulli magis aliquid quam

ANNO CHRISTI 451. quam sibi & suis sacerdotibus atque populis quietam negotiantur vitam. Pro quibus enim hæc a nostra paruitate suggesta sunt, breuiter indicamus. Quoniam diuina sanctio per Eudoxium virum deuorum magistrianum religiosissimo nostro metropolitæ Ætherio data, conuocati sumus in ciuitate Sardianorum literis memorati sanctissimi viri metropolitæ nostri directis: congregatisque nobis in vrbe prædicta, vestræ pietatis literæ sunt directæ, nec non & preces quæ videbantur de quibusdam capitulis eis esse subiectæ: quas audientes, de vtroque capitulo vestræ pietati suggerimus. De principali namque capitulo, & quod ad ipsam Christianorum fidei respicit summitem, id est, de sancto & vniuersali Concilio Calchedone collecto, cui regulariter præsederunt & maximæ Romæ sanctissimus & beatissimus archiepiscopus Leo per venerabiles episcopos directos & clericos, nec non & regia Constantinopolis sanctissimus & venerabilis archiepiscopus Anatolius, & summi sacerdotes qui ei concordes fuerunt, & similia decreuerunt; nec non & omnes sanctissimi totius orbis episcopi: etiam hoc fatemur, quia necessario per illorum vestigia gradientes, & reuerentiam eis habentes, eosque venerantes, quæ pie & diuina inspiratio ne constituta sunt, quæ in prædicto sancto & vniuersali Concilio sancta noscuntur, eis concordes sumus, quando nihil dissonant a sancto & vniuersali Nicæno Concilio trecentorum decem & octo sanctorum patrum. Deus enim qui per illos olim fidem regulariter exposuit, ipse etiam nunc per istos eam denuo, quoniam unus & idem, secundum beatum Apostolum, *Spiritus sanctus operatus est vniuersa.* De Timotheo namque, qui tyrannice, sicut agnouimus, & contra regulas sedem sanctissimæ ecclesiæ Alexandrinæ ciuitatis inuasit, dum vtique esset ecclesiasticæ correctioni contraditus, relegentes preces quæ syllabis pietatis vestræ subiectæ sunta Dei amantissimis episcopis Ægyptiacæ dicecessis, & venerabilibus clericis Alexandrinæ ciuitatis, per eas agnouimus, quia cum adulterio quod in pontificatu commisit, & homicidio, etiam anathematizare sanctum Concilium Calchedonense non timuit. Quibus auditis, animæ nostræ profundo vulnere sunt percussæ, deflentes quod in tam venerabilibus tem-

Concil. Tom. 9.

Tt

1. Cor. 12.

poribus ab aduersario pietatis & inimico orthodoxæ fidei, tantæ obfessiones nobis infurgunt. Legentes etiam preces ab aliquibus Timotheo consentientibus mansuetudini vestræ pietatis oblatas, amplius defleuimus, & nostra mente nimis excessimus pro tanta præsumptione. Quia super ea quæ iam commiserūt, non eos piguit etiam prædicto magno sanctoque Concilio, quantum ad eos attinet, contumelias inferre, & illud prorsus expellere. Totum tamen hoc vestro iudicio, non personā respicientes, committimus, supplicantes ut omnium totius orbis sanctissimorum episcoporum post Deum vitam vestra pietas faciat esse securam, & sanctis ecclesiis quietis & pacis iura concedat. Scimus enim, quia Deus qui vobis perpetua regni sceptra donauit, secundum beatum Salomonem, præsentibus sapientiam & prudentiam præbebit etiam in hac causa, quatenus benignitatem imperialem per omnia demonstretis, Christianissimi atque piissimi.

Pron. 1.

Ætherius episcopus Sardianorum Lydiae. Christus Deus Christissimum & inuisitissimum vestre pietatis imperium in augmento fidei & pacifica vita sanctorum intercessionibus conseruare dignetur, piissime & religiosissime & Christo amabilis imperator.

Paulus episcopus Daldi, similiter.

Asianus episcopus Philadelphiae, similiter.

Ioannes episcopus Heraclidis, similiter.

Polycarpus episcopus Gabalorum, similiter.

Iulianus episcopus Mothenæ, similiter.

Ioannes episcopus Maoniae, similiter.

Rufinus episcopus Areopolis, similiter.

Lucius episcopus Apollinis, similiter.

Gemellus episcopus Stratoniciæ, similiter.

Dionysius episcopus Attaliæ, similiter.

Cyriacus episcopus Apolloniadis, similiter.

Theodorus episcopus Gordi, similiter.

Anatolius episcopus Hellenorum, similiter.

Leonides episcopus Beanæ, similiter.

Heraclidianus episcopus Senus, similiter.

Diamonius episcopus Thyateranus, similiter.

Onesiphorus episcopus Blandi, similiter.

Iulianus episcopus Satalæ, similiter.

Ioannes episcopus Tripolis, similiter.

ANNO
CHRISTI
451.

ANNO
CHRI
451.